199

CONSTITVTIONES COLLEGII SANCTI BONAVENTVRÆ

A S. D. N. SIXTO V. PONT. MAX.

INSTITVTI ANNO M. D. LXXXVIII.

ROMAE, IN CONVENTV SANCTORVM DVODECIM APOSTOLORVM ORD. FRATRVM MINORVM CONVENTVALIVM SANCTI FRANCISCI.



ROMÆ,
Apud Paulum Bladum Impreſſorem Cameralem.
M. D. X C.







AD LAVDEM, ET GLORIAM
SANCTISSIMÆ TRINITATIS,
PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI,

Et honorem Beatiſsimæ Virginis Dei paræ, ac ſancti Patris Franciſci, & beati Bonauenturæ Doctoris eccleſiæ Seraphici, ſequuntur conſtitutiones collegij eiuſdem s. Bonauenturæ in baſilica ſanctorum duodecim Apoſtolorum de vrbe à S.MO D. N. D. SIXTO Papa Quinto erecti, ab Ill.MO et R.MO D. Alexandro Cardinale Montalto S. R. E. Vicecancellario, eiuſdem collegij Protectore editæ.

QVONIAM Sanctiſsimus D. N. Sixtus Quintus Pontifex Optimus Maximus ob eximiam ſuam charitatem, qua Seraphicam Minorum Conuentualiũ Religionem proſequitur, aſſiduè in ea cogitatione, curaq́. verſatur, vt illam bonarum artium ſtudijs, ac præſertim diuinarum literarum diſciplina ornatiorem in dies, perpetuoq́. florentem reddat, ideoq́. collegium ſancti Bonauenturæ in conuentu ſancto-

rum Apoſtolorum de vrbe, vbi eiuſdem ordinis profeſsi ſacræ theologię operam nauent, nuper inſtituit. Nobis prætерea prædicti collegij patrocinium, tutelamq. demandauit, vt in literis apoſtolicis, quarum exemplum inferius ſubijciemus, pleniùs continetur. Propterea, vt idem collegium perpetuò conſequentibus temporibus felici regimine gubernetur, eiusq. alumni eos in vinea Domini fructus afferant, qui maximè expectantur, & quorum gratia prima huius operis fundamenta iacta fuerunt, has leges, & conſtitutiones ex ſanctitatis ſuæ auctoritate, ac religioſiſsimi illius animi ſenſu condendas decreuimus.

Erit in primis eorum, qui in collegio manebunt, nō minor numerus, quàm viginti, qui & profeſsi omnes erunt, & Baccalaurei, habeantq. omnes qualitates, & requiſita iuxta formam literarum erectionis collegij à S.mo D. N. emanatarum. Erit etiam eorum vnà cū alijs fratribus domus ſeu cōuentus ſanctorum Apoſtolorum eadem, communiſq. menſa, ac venerabili Guardiano, qui pro tempore fuerit, obedientiam præſtent tam quò ad vitæ diſciplinam, quàm eccleſiæ cultum; cuius quidem rei ea ratio habenda eſt, quæ alibi, vbi fratrum s. Franciſci ſtudia vigent, haberi ſolet. Propterea procuratori conuentus, vel alij per Guardianum deputato, ex collegij prouentibus conſtituet Protector pro Regētis & collegialium ſupradictorum victu ſcuta trigintaquinque monetæ pro quolibet ſingulo anno, quarto quoque menſe anticipata ſolutione numeranda. Nec liceat procuratori, vel alij deputato erogatam pecuniam

ad

ad alia, quàm ad ea, quæ victui neceſſaria ſunt, comparanda, vllo modo cōuertere. Quòd ſi in alios vſus, quàm ſupra ſcriptum ſit, pecunias erogauerit, à Miniſtro Generali ad omnem requiſitionem, & interpellationē Protectoris officio priuetur, ac inhabilis ad alia obtinenda per triennium ſit. quod vt ſeruetur, collegij Regens, vel alius, quem ipſe Protector conſtituet, diligenter curabit. Quod ſi collegij prouentus augeantur, prædictorum etiam collegialium numerus augebitur.

Habeant ſinguli ſingula cubicula, lecto, arca, tabula, & alia neceſſaria ſuppellectili inſtructa.

Qui eligendi ſunt, ætatis erunt non minoris viginti annorum, ex legitimo matrimonio procreati, & cum qualitatibus iuxta formam literarum S. D.N. ita vt nullius diſpenſationis, aut legitimationis prætextus quoad eorum admiſsionem natalium ſuppleat defectum; nec alius vllus eligatur, niſi qui logicæ, phyſicæ, ac metaphyſicæ curſum peregerit, & ſacræ theologiæ, vt infrà dicetur, ſaltem per annum operam dederit, eiusq. rei in diſputationibus, alijsq. actionibus publicis ſpecimen aliquod ediderit: tantum enim prouectiores ſcholares in hoc collegium eius Sanctitas admitti voluit, quò demū eccleſiæ Dei fiant magis vtiles, & ad honores magis idonei.

Electionis autem ea ratio ſeruanda eſt, vt Generalis Miniſter Ordinis (quippe quem Fratrum ſuorum conditionem magis exploratam habere exiſtimamus) tribus menſibus ante Capitulum Generale quadraginta ſaltem Baccalaureorum nomina ex diuerſis prouincijs, qui ta-

les

les ſint, quales iam diximus, in ſchedula deſcripta ad Protectorem mittat; & ſi eligendorum numerus maior viginti fuerit, quò plures erunt, eò maior quoque numerus in eadem ſchedula annotabitur. Protector autem adhibito generali Ordinis procuratore, vel alio ſibi beneuiſo ex eo numero illos eliget, qui in collegium cooptandi erunt, quorum etiam nomina ad Generale Capitulum tranſmittat, vt in tabula Religionis ordinaria poſſint adſcribi. Quòd ſi forte contigerit ex electis locū aliquem deficere, Protector ex illis eliget, qui in ſchedula ſibi à Generali porrecta ſuperfuerint, atque in deficientis locum illum ſubſtituet. Quòd ſi electio ſecus facta ſit, irrita ſit, & nulla, nec vllum iuris ſortiatur effectum.

Manebunt autem in collegio triennio tantùm. quod ſanè tempus ſatis eſſe videtur ad eam conſequendā eruditionem, qua Sanctitas ſua eos erudiri, atq. inſtitui cupit, niſi ex aliqua rationabili cauſa aliud Protectori videatur. Tum demum alijs, qui ſibi ſuccedent, loca dimittant: ita enim fiet, vt in hac religione ad communem omnium vtilitatem eruditorum hominum numerus facilè augeatur.

Quamuis autem (vt experientia docet) nihil ſit, quod felicem ſtudiorum curſum magis retardet, quàm diſcētes hac, illac præſertim Quadrageſimæ tempore peruagari, quo nullum eſt aptius ad literarum ſtudia, & propterea melius cum illis ageretur, ſi ſe à prædicandi munere continerent, conſiderata maximè breuitate temporis triennij huiuſmodi ſtudijs præſcripta. Quia tamen

præ-

prædicatio euangelij neceſſaria eſt, & quod ſolitarum lectionum ſtudijs aufertur, prędicationum exercitio accreſcit, & vt ſcholares ad Dei ſeruitium in prædicandi munere ſe exerceant, concedimus, vt qui idonei erunt, ſi velint, ſiue in vrbe, ſiue extra vrbem munus prædicationis ſuſcipere poſſint. Qui verò extra vrbem concionatum ibunt, non aliàs diſcedent, niſi Protector, & Regens diſcedendi dederint poteſtatem, certo tamen tempore pro locorum diſtantia limitandam, ne liberiùs vagandi occaſionem habeant. Quòd ſi debito tempore non redierint, vt decet, corrigantur.

Ijs verò, qui potius in collegio ſtudijs, quàm prædicationibus inſeruierint, ea de cauſa quolibet anno ſcuta viginti duabus ſolutionibus dentur pro veſtitu, pro libris comparandis, ac alijs neceſſitatibus ſubleuandis.

Quia verò cupimus, vt Regens, quoad fieri poteſt, in ſuo docendi munere progrediatur, ipſo præſertim Quadrageſimę tempore (quæ anni pars ad ſtudia cæteris tēporibus (vt diximus videtur accommodatior) idcirco Regentis neceſſitatibus prouidentes elemoſinam illi conſtituimus ſcutorum ſexaginta ſingulis annis. Si verò alicubi prædicationis officium pro aliqua Religionis vtilitate, vel neceſſitate exercuerit, ſcuta triginta.

Et quia pro diuinarum literarum diſciplina ſacrum hoc collegium inſtitutum eſt, ſupradictus Regens, ſanctum patrem Bonauenturam ſuper quatuor libros Magiſtri ſententiarum, quaſi ducem ſuis auditoribus ſemper interpretabitur. Vnus enim iſte ſanctus, qui nuper inter pręcipuos eccleſiæ ſanctę Doctores, a S. D. N.

Sixto

Sixto Quinto relatus eſt, ob ſingularem doctrinam, ac ſententiarum dignitatem, quibus pleni ſunt eius libri, abundè ſufficiet, vt ex eius lectione librorum in ſummum quiſque theologum poſſit euadere. Quoniam verò ſolo triennio vix fortaſſe poterit Regens quatuor ipſos ſententiarum libros abſoluere, volumus, vt ipſi auditores in eadē ſancti Bonauenturę doctrina iuxta materias ſibi à Regēte conſtitutas diſputationibus quotidianis ſeſe mutuò exerceant, vt hac ratione libros abſoluāt.

Teneantur quoque ſinguli de collegio ſingulis menſibus ex eadem doctrina aſſertiones publicè in collegio diſputandas proponere, prout vnicuiq. eorum a Regente fuerit conſtitutum, neque propterea ſolitas aliorum ſtudiorum exercitationes vllo modo prętermittant, & vt commodiùs ſtudijs vacare poſſint, nec matutinis intereſſe tempore lectionum, neque mortuos aſſociare, niſi defuncti nobilitas, aut alia neceſſitas coegerit, teneantur.

Magiſter ſtudentium de more cæterorum Ordinis ſtudiorum non præficiatur, cùm prouectorum ſit hoc dumtaxat collegium. Baccalaureus autem conuentus inſtituatur is, qui à Generali, & Patribus in Capitulo iudicatus fuerit habilis ætate, moribus, & doctrina.

Is teneatur qualibet die à Regente aſſignatā aliquam interpretari lectionem eiuſdem ſancti Bonauenturæ, ſiue in opuſculis, ſiue in ſacra ſcriptura, ad quam cęteri Baccalaurei accedere teneantur ſub pœna eiectionis à collegio perſeuerante contumacia, niſi fuerint legitimo detenti impedimento.

Idem

Idem etiam conſuetis diebus concluſiones diſputandas proponere tèneatur, ac duo ſaltem ex collegio arguant, & opponant, ad maiorem materierum examinationem ipſe argumentis reſpondeat, & Regens, cum opus fuerit, ſuppleat.

Volumus autem, quòd ſcholares prædicti collegij, vt ampliorem ſpem de ſe præbeant, iam antea in aliquo religionis ſeraphycæ ſtudio per annos quinque logices, phyſices, & metaphyſices ſtudijs, & etiam primordijs theologię operam dederint, atque de tempore ſtudiorum illorum, quinimo & de progreſſibus in eis factis plenam fidem faciant, antequàm in dictum collegium ſancti Bonauenturæ recipi poſſint; ibiq́. exercitia iam propoſita frequenter per triennium in eodem remanſuri, viam B. Bonauenturæ vigili cura terentes, quouſq. Magiſterij lauream ſuſcipiant. In qua aſſequenda priorem locum antè alios omnes religionis Baccalaureos, vti par eſt, non ſolùm obtineant, ſed etiam peculiari priuilegio gaudeant, vt ſcilicet præuio tãtùm aliquo diſputationum publicarum ſolemni actu nulli alij examini ſubiaceant, & à Generali dicti Ordinis, ſeu Pręſidente in generali capitulo ſolitis tantùm munijs per eos adimpletis Magiſterij gradu exornentur, eumq́; ſolemniter recipiant, de noſtra tantùm licentia, prout eius Sãctitas nobis, & ſucceſſoribus noſtris protectoribus indulſit, non obſtante aliqua religionis conſtitutione, aut ſanctę apoſtolicæ ſedis prohibitione, niſi facta mentione de hoc indulto, quæ hoc aliàs fieri prohiberet. Tales enim futuros confidimus, qui ex hoc prodibunt col-

legio, vt meritò gradus iſtè illis debeatur, quo ornati, maiore etiam auctoritate tàm in exponẽdis diuinis ſcripturis, quàm in officio prædicandi verbi Dei, alijſq. religioſis miniſterijs ſecurè verſari, & veluti noua, & feracia germina vberrimos fructus ad communem eccleſię vtilitatem, àc Dei gloriam producere poſſint.

Teneantur etiam vnà cum Regente cuiuſlibet menſis initio ſecunda feria, (niſi quid impediat) aliàs ſubſequenti, pro defunctis familiæ noſtræ de Perettis perpetuò futuris temporibus miſſam (vt aiunt) conuentualem celebrare, & in alijs, quas priuatim celebrabunt, pro ijſdem defunctis memoriam ſemper peragere.

DE REGENTE.

DEligetur à Nobis, aut Protectoribus ſuccedentibus Regens collegij, qui ætate, moribus, doctrina, & auctoritate ſit inter præcipuos religionis Patres, quiq. duobus ſaltem triennijs theologiam in celeberrimo aliquo religionis gymnaſio, vt Patauij, Bononiæ, Neapoli publicè ſit profeſſus. Ipſe autem, vt ſupra diximus, ſanctum Doctorem Bonauenturam perpetuò interpretetur, & in eius doctrina ſuos auditores exerceat, ſicut in cæteris eiuſdem religionis gymnaſijs obſeruatur. Guardiano prætereà ſanctorum Apoſtolorum, vt cæteri auditores ſui æquè obediat, non tamen conſuetis immunitatibus vllo modo derogamus

DE

DE OECONOMO.

PRotector adhibito etiam collegij Regente, eliget Oeconomum arbitrio ſuo, ſeu regularem, ſeu clericum ſecularem, ſeu etiam integritatis, ac fidei ſpectatæ laicum, cuius circa collegij prouentus, præcipua ſit diligentia, cum ijs tamẽ facultatibus, quas ipſi Protector impartiri voluerit.

Oeconomus calculandi rationem optimè ſciat, dato rumq. & acceptorum in libro, quem ſignatum, & cartulatum dabit illi Protector rationes collegij diligenter conficiat, ac quolibet ſaltem menſe eidem Protectori, ſeu cui Protector mandauerit, adminiſtrationis ſuæ rationem, præſente etiam Regente, fideliter referat.

DE PROTECTORE.

PRotector collegij nobis vita functis iuxta mentem, & conſtitutionem S. D. N. ille ſuccedet, qui tunc ex familia noſtra de Perettis Cardinalis erit: idq. ita ſemper fiat, quandiu Deus annuet dignitatem hanc in familia noſtra permanere, & ſi plures eſſent, vetuſtior: ſi ex his nemo ſupererit, is, qui ex agro piceno vetuſtior Cardinalis erit: ſi verò ex agro Piceno Cardinalis nullus exiſtet, idem, qui religionis Protector erit, in huius collegij protectione ſuccedet.

Protectoris quoque poteſtas erit eligendi vnà cũ Regente, præter Oeconomum, vt ſuperius dictum eſt, officiales, aduocatos, procuratores, cæteroſq. ipſius col-

legij miniſtros, hos etiam & amouere, & nouos ſubrogare, conſtituere, & decernere, quidquid ad collegij adminiſtrationem tam circa ſpiritualia, quàm temporalia bona pertinet, quidquid etiam ad victum, ac veſtitum Fratrum in collegio permanentium duxerit expẽdendum fore. Vbi verò aliquid ſpeciale conſtitutum, expreſſumq; non fuerit, antiquæ cæterorum religionis gymnaſiorum conſtitutiones obſeruentur.

Prouentus collegij, ſi qui neceſſarijs omnibus expenſis deductis ſupererunt, aut ædificijs conficiendis, aut emendis libris, vel neceſſaria aliqua ſuppellectili comparanda Protectoris arbitrio expendantur.

Quoniam verò, quæ collegio vnita eſt abbatia iuriſdictionem ſpiritualem habet, Protector aſcito Regente arbitratu ſuo Vicarium eligat, qui iuxta facultates ſibi à Protectore conceſſas eam iuriſdictionem exerceat: idẽ quoque Protector capellanos, qui rebus diuinis in huius abbatiæ eccleſia ſeruiant, vt eligendi, ita & deponendi habeat poteſtatem.

Abbatiæ beneficia, ſi quæ vacare contigerit, ad liberam Protectoris collationem ſpectent, ex auctoritate à Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, decretis tamen, ac conſtitutionibus ſacri Tridentini concilij ſeruatis.

BVLLA
S.MI D. N. SIXTI V. Pontificis Maximi.

Super erectione collegij S. Bonauenturæ.

SIXTVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Ineffabilis diuinæ prouidentiæ altitudo, cuius nutu ordinationem ſuſcipiunt vniuerſa iam inde ab ipſo apoſtolicæ prædicationis primordio, almam vrbem Romam adeò copioſis cœleſtium gratiarum donis, ac prærogatiuis cumulauit, vt quæ antea per tot ſecula varijs ſuperſtitionibus quaſi quibuſdam præſtigijs decepta, ac ſeducta tenebatur, quæq. fuerat erroris ſchola, tunc primum glorioſo beatiſſimorum Petri, & Pauli Apoſtolorum martirio Deo Omnipotenti cõſecrata, ſinceraq;, ac ſolida Chriſtianæ religionis doctrina illuſtrata, diuinæ ſapientiæ, ac veritatis, ſacrarumq; literarũ publicum gymnaſium eſſe inciperet, & ab ipſa, quæ orbis terrarum regebat imperium, tanquam à ſumma, ac primaria omnium prouinciarum ſede in omnes partes lux illa veritatis ſeſe diffunderet, quæ pro communi hominum generis ſalute diuinitus tradita, tunc recens per eoſdem Apoſtolos in tetra illa errorũ caligine mũdo fuerat reuelata. Et exinde diuerſi Romani

mani Pontifices noſtri prædeceſſores ſancto propagãdæ fidei zelo accenſi, eam Pontificis munere digniſſima ſuſceperunt cura, ac ſolicitudine, vt eandem vrbem, vnde vera pietas, religio, & doctrina in omnes gentes, ac nationes perpetuò diſſeminãda erat, alij, religioſis collegijs, & vniuerſitatibus, alij publicis, & ſacrorum librorum bibliothecis ornarent, atq. augerẽt: ſic quoque nos, qui regulari habitu Ordinis Fratrum Minorum conuentualium ſancti Franciſci, ab ineunte ætate ſuſcepto illius regulam, & inſtituta ſolemniter, riteq. profeſſi ſumus, cum Romæ in domo ipſius Ordinis apud Sanctorum duodecim Apoſtolorum baſilicam verbi Dei concionatoris, & poſtea vniuerſi Ordinis Minorum Procuratoris, ac demum Magiſtri Generalis, ampliſſimis muneribus fungeremur; domum prædictam non modò fabricis, atq; ædificijs, ſed etiam bibliotheca auximus, atq; ornauimus non ſine flagrãti deſiderio aliquod ibidem collegium, ac diuinarum litterarum; ſacræq; theologiæ ſtudium inſtituendi. Quare nunc demum ad celſiſſimam Pontificatus ſedem immenſa diuina clementia, nullis noſtris meritis prouecti, rei optimè perficiendæ propoſitũ diutius nõ duximus differendum; cum præſertim hoc à nobis expoſtulare videatur, non ſolùm apoſtolici muneris diuinitus fidei noſtræ commiſſi ſolicitudo, præcipuaq; illa, qua vrbem hanc noſtram Romam diligimus charitas, & ſtudium, quo illius ornãdæ maximo flagramus, ſed planè flagitet beati Seraphici Franciſci regularis ordo, ex quo tot ſummorum virorum doctrina, &

ſan-

ſanctitate præſtantium religioſæ cohortes, & copiæ ad eccleſiæ Dei propagationem, & defenſionem prodierunt, vt quod olim felicis recordationis Innocentius Papa iij. prædeceſſor noſter præſignificauit, dum beatum Franciſcum, ipſius Ordinis parentem, & auctorem ſuis humeris Lateranen. baſilicam collabentem ſuſtinere in ſomnis vidit, id deinde communi bono reip. chriſtianæ ipſe rerum euentus comprobarit. idem enim Franciſcus ea ſapientiæ ſuæ ſemina edidit, ea reliquit continentiæ, abſtinentię, ac ſuſceptorum pro Chriſto laborum tolerantiæ documenta, vt qui eius regulã ſequuti ſunt, quaſi nouæ ſobolis fœtus adoptati, ac ſalutaribus præceptis inſtructi perpetua futurorum temporum ſucceſſione vniuerſæ catholicę eccleſiæ ornamẽto extiterint. Siquidem multi ex ipſis sãctitate, atq; eruditione inſignes tanti Patris, & magiſtri hortatu, atque exẽplo excitati multis, varijſq; prouincijs peragratis nationes in tenebris aberrantes ad diſciplinæ chriſtianę lucem reuocarunt, ac conuulſis vitiorum, atq; errorum radicibus verbi Dei, quod velut imber de cœlo deſcendens, terramq; inebrians, facit eam germinare, pia prædicatione mentes hominũ fœcundarunt, & vſque adeò præclari huius Ordinis tũ sãctitatis, tum doctrinæ odor iam inde ab initio in omnem terram ſe diffundit, ita in dies magis huius ſanctæ familiæ alumni iuuante Domino profecerunt, vt piæ memoriæ Gregorius ix. & Gregorius x. alijq. Romani Pontifices, & prædeceſſores noſtri ad res eccleſiæ, maximas gerendas eiuſdem Ordinis profeſſores adhi-

bue-

buerunt, ac potiſsimùm duos illos ſpectatæ pietatis, & doctrinæ, qui Legati apoſtolici ab eodē Cregorio x. Conſtantinopolim miſſi Græcos ad ſanctæ apoſtolicæ ſedis obedientiam, Tartaros ad catholicam fidem reduxerūt. Quin etiam coſtans opinio fuerit Seraphici Doctoris ſancti Bonauenturæ opera in concilio generali Lugdunen. idem egregiè perfectum fuiſſe, & longum ſit recenſere, cæteros complures eiuſdem Ordinis regulares, qui per illorum glorioſa veſtigia pleno gradu incedēda continuata tot ſæculorum ſerie ad noſtram vſque ætatem vberrimos ad Dei gloriam, & animarum ſalutem in ſancta Dei eccleſia fructus protulerunt. Cum itaque monaſterium ſanctæ Mariæ de Arabona, ſancti Benedicti, vel Ciſtercien. ordinis nullius diœc. prouinciæ Theatin. quod bonę memoriæ Iacobus Epiſcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Sabellus nuncupatus, ex conceſſione, & ſeu diſpenſatione apoſtolica in cōmendam, dum viueret, obtinebat, cōmenda ipſa per obitum eiuſdem Iacobi Cardinalis, qui nuper apud dictam ſedem naturæ debitum perſoluit, ceſſante adhuc eo, quo ante cōmendam ipſam vacabat modo, necnon perpetua capellania ſub inuocatione Cōceptionis, ſeu Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis in eccleſia Veliterna per obitum quondam Io. Petri Ghiſlerij, aliàs de Conſiliarijs in dicta eccleſia, dum viueret, perpetui capellani apud ſedem eandem defuncti vacauerit, & vacet ad præſens, nulluſq; de dicta capellania præter nos, pro eo quod dudum omnia beneficia eccleſiaſtica apud ſedem prædictam tunc vacan-

vacantia, & inantea vacatura collationi,& diſpoſitio-
ni noſtrę reſeruauimus,ac ex tunc irritum, & inane de
cernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis aucto-
ritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari,hac
vice diſponere potuerit,ſiue poſſit reſeruatione,& de-
creto obſiſtentibus ſupradictis.Nos, qui pietatis,ac di-
ſciplinarum, & theologiæ felices in Domino pro-
greſſiones ꝑpetuò fouere debemus, iuſtiſſimis cauſis,
& rationibus adducti, quod ſemper antea in votis ha-
buimus, id re ipſa exequi volentes, eandem baſilicam
à recolendæ memoriæ Ioanne PP. iij. ſimiliter præde-
ceſſore noſtro plurimis priuilegijs decoratam, nouo
collegio, ac ſtudio diuinarum literarum, ſacræq;
theologiæ ornare, atq. augere decreuimus, ad hoc
vt in ea profeſſoribus dicti ordinis minorum conuen-
tualium ad ſtudia ſacrarum literarum huiuſmodi oc-
caſio, & commoditas noſtra, & ſedis prædictæ benefi-
centia ſubminiſtretur, ſimulq. noui operarij ad agri
dominici culturam introducantur. Motu itaque pro-
prio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitio-
nis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, & de apo-
ſtolicæ poteſtatis plenitudine ad omnipotētis Dei lau-
dem,& gloriam,necnon militantis eccleſiæ exaltatio-
nem,diuiniq. cultus,& orthodoxæ fidei augumentum
ac religioſorum prædictorum commoditatem atque
profectum, in prædicta domo vnum collegium vigin-
ti ad minus eiuſdem ordinis minorum conuentua-
lium profeſſorum in humanioribus literis & ingenuis
artibus, nempè in logica, phyſica, & metaphyſica,

optimè verſatorum,ac aliàs iuxta ordinationes,& ſtatuta deſuper facienda, & ſtabilienda qualificatorum, qui in huiuſmodi collegio tãquam vberrimo diuinæ legis ſeminario ſacræ theologiæ Seraphici eximij doctoris ſancti Bonauenturę tantùm ſtudijs inſiſtere, & operam ſuam nauare,atq. in quatuor ſententiarum libris eiuſdem ſancti Bonauenturæ, quem inter præcipuos eccleſiæ ſanctæ doctores, adſcribendum, & tenendum per ſpecialem noſtram conſtitutionem declarauimus, continuè proficere ſtudeãt,ſub vnius præſtantiſſimi, & exercitatiſſimi lectoris Regentis nuncupandi doctrina, & diſciplina, qui etiam legendo, interpretando, ac diſputando, vt moris eſt, in generalibus eiuſdem Ordinis minorum cõuentualium ſtudijs eoſdem religioſos collegiales exercere debeat, vt poſt peractum ſtudiorum ſuorum huiuſmodi curſũ tanquam feraces prædicti agri dominici plantæ in ſacris ſcripturis exponendis, interpretandis, ac publicis verbi Dei concionibus habendis, aliiſq. ſpiritualibus officiis, & miniſteriis obeundis ſanæ doctrinę germina latiùs diffundere, & ſperatos fructus ad commune m vtilitatem, & ſalutem, ordiniſq. minorum conuentualium huiuſmodi decorem producere valeant, auctoritate apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus, illiq. ſic erecto, & inſtituto pro eius dote, ac Lectoris, ſeu Regentis, & collegialium huiuſmodi ſuſtẽtatione monaſterium prædictũ, in quo, vt accepimus, quatuor, vel quinque monachi dicti ſancti Benedicti, vel Ciſtercien. Ordinis ibidem

à ſuis

à ſuis ſuperioribus, ſeu pro tẽpore exiſtente dicti monaſterii commendatore introducti, ad præſens degunt, cuiuſq. fructus, redditus, & prouentus ad ſexaginta florenos auri in libris cameræ apoſtolicæ taxati reperiuntur, & capellaniam huiuſmodi, quæ ſine cura eſt, perſonalemq. reſidentiam non requirit, ac cuius, & illi forſan annexorum fructus, redditus, & prouentus tercentorum ducatorum auri de camera, ſecundùm communẽ extimationem valorem annuum vt accepimus, non excedunt, ſiue capellania præmiſſo, ſiue alio, & tam illa, quam monaſterium huiuſmodi, quibuſuis modis, & ex aliorum quorumcunq. perſonis, ſeu per liberas dicti Io. Petri, vel alterius reſignationem de capellania, ac ceſſionem, cuiuſuis, de regimine, & adminiſtratione monaſterij huiuſmodi in Ro. curia, vel extra eam, etiã coram notario publico, & teſtibus ſpontè factas, aut capellania per aſſecutionem alterius beneficij eccleſiaſtici quauis auctoritate collati vacet, etiam ſi tanto tempore vacauerit, quòd capellæ collatio, & monaſterij huiuſmodi prouiſio, iuxta Lateranen. ſtatuta concilij, aut alias canonicas ſanctiones ad ſedẽ prædictam legitimè deuoluta, ipſaq. capellania diſpoſitioni apoſtolicæ ſpecialiter, vel alias generaliter reſeruata exiſtat, & prouiſio dicti monaſterij, ex quauis cauſa ad ſedẽ eãdem ſpecialiter, vel generaliter pertineat, ac de ipſo monaſterio conſiſtorialiter diſponi conſueuerit, ſeu debeat, necnõ ſuper capellania, ac regimine, & adminiſtratione, monaſterii huiuſmodi inter aliquos lis, cu-

ius ſtatũ,verumq. & vltimũ, monaſterii, & capellaniæ prædictorum vacationis modum, etiã ſi ex illo quæuis generalis reſeruatio, etiam in corpore iuris clauſa reſultet, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, pendeat indeciſa cum annexis, membris, bonis,proprietatibus, iuriſdictionibus, iuribus, & pertinentiis ſuis vniuerſis. Ita quòd liceat ex nunc ipſius collegii Lectori, ſeu Regenti, & collegialibus pro tempore exiſtentibus, illorum omnium corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios nomine eiuſdem collegii propria auctoritate, abſque iudicis mandato, vel decreto, ac ſpolii, & attentatorum vitio liberè apprehẽdere,& perpetuò retinere, eaq. regere,& adminiſtrare, ac fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta monaſterii, & capellaniæ, ac annexorum huiuſmodi in ſuos, dictiq. collegii communes vſus vtilitatem, & neceſſitates conuertere diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita, auctoritate,& tenore prædictis, etiã perpetuò vnimus, annectimus, & incorporamus,ac in ipſo monaſterio dignitatem abbatialem, nomenq., titulum, & denominationem abbatis, necnon conuentualitatẽ, ſi quæ ſit, ac ſancti Benedicti, ſeu Ciſtercien. Ordinem prædictum, illiuſq. ſtatum, eſſentiam, & dependentiam regulares eiſdem auctoritate, & tenore ſimiliter perpetuò ſupprimimus, & extinguimus, ipſoſq. monachos ibidem degentes ad alia monaſteria, ſeu regularia loca ſui Ordinis, ad id eis à ſuis ſuperioribus aſſignanda, vel aliàs vbi beneuolos inuenerint

rece-

receptores, ita vt ex nunc deinceps in monaſterio vnito prædicto, nullatenus permanere, nec ex illius fructibus, redditibus, prouentibus, vel rebus alimenta, vel vllum omnino ſubſidium, aut ius, vel actionē ibidem prætendere poſſint, ſed ſtatim habita præſentiū notitia, ad alia monaſteria, & loca huiuſmodi, nulla alia à nobis expectata iuſſione, mentiſq. noſtrę declaratione ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac etiā carceris, aliiſq. arbitrio noſtro imponendis pœnis ipſo facto per contrauenientes incurrendis tranſire debeant, ac Lector, ſeu Regens, & collegiales prædicti, ad alios monachos in dicto vnito monaſterio recipiendum, & admittendum, illiſq. alimenta miniſtrādum, vel aliud quidpiam præſtandum minimè teneātur, nec obligati ſint, minuſq. ad id cogi, vel compelli valeant, transferimus, necnon fundationem, & inſtitutionem monaſterii huiuſmodi, ac miſſarum anniuerſariorum, & aliorum diuinorum officiorum obligationes, commiſſiones, & defunctorum ſuffragia, ſi quæ ſint, cæteraq. onera eidem vnito monaſterio, quomodolibet incūbentia in dicti collegii miniſteria cōuertimus, & cōmutamus, inſuper eidē collegio, illiuſq. Lectori, ſeu Regēti collegialibus, ſcholaribus, officialibus, miniſtris, & perſonis, vt omnibus, & ſingulis priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, indultis, cæteriſq. gratiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus alia prędicti Ordinis minorum cōuentualium, & quorūuis aliorum Ordinum collegia, ad quarumcunq. bonarum literarum, & diſciplinarū cul-

cultum,& propagationem vbique inſtituta,illorumq. Rectores, Regentes, collegiales ſcholares, officiales, miniſtri, & perſonæ de iure, vel conſuetudine, ſeu ex priuilegio, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt, quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter abſque vlla prorſus differentia vti, potiri,& gaudere, liberè, & licitè valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi illa eis ſpecialiter, nominatim, & expreſsè conceſſa, & communicata fuiſſent, auctoritate, & tenore prędictis pariter perpetuò concedimus, & indulgemus. Vt autem dicti collegii proſpero, ac felici regimini, & conſeruationi opportunè conſulatur, dilectum filium noſtrum Alexandrum ſancti Euſtachii, Diaconum Cardinalem de Montealto nunncupatum & eo vita functo, alium ex familia noſtra, ſi quis erit, ſin minus antiquiorem, ex Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ oriundum,& vtroq. ceſſante Protectorem prædicti Ordinis Minorum conuentualium, pro tempore exiſtentem, S. R. E. Cardinalem eiuſdem collegii, illiuſq. Lectoris,ſeu Regentis,collegialium ſcholarium, officialium, miniſtrorum,& perſonarum, rerumq. & bonorum protectorem, & defenſorem, cuius conſilio, & ope omnia ſupradicta, & quæcunque alia in eis, & circa ea quomodolibet neceſſaria agantur, ſtatuantur, & ordinentur, ſtatuimus, & deputamus. Præterea Alexandro Cardinali, & pro tempore exi-

exiſtenti, protectori prædicto, Lectorem, ſeu Regentem prædictum, necnon vnà cum ipſo Lectore, ſeu Regente œconomos, officiales, aduocatos, procuratores, cæteroſq. miniſtros dicti collegii deputandi, & amouendi, & loco amouendorum alios ſufficiendi, necnon quæcunq. ſtatuta, ordinationes, & decreta, tam circa eiuſdem collegii, illiuſq. rerum, & bonorum ſpiritualium, & temporalium curam, directionem, regimen, & adminiſtrationem, quàm collegialium prædictorum receptionem, & admiſſionem, eorumq. qualitates victum, amictum, ſtudiiq. curſum, ac tempus, per quod in dicto collegio ali, & confoueri debeant, ac aliàs in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna, licita tamen, & honeſta, ac ſacris canonibus, & concilii Tridentini decretis, ipſiuſq. Ordinis minorum conuentualium regularibus inſtitutis non contraria faciendi, & edendi, ac illa quoties pro eorum, & temporum qualitate, vel aliàs expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac alia ex integro condendi, quæ poſtquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita fuerint, eo ipſo dicta apoſtolica auctoritate confirmata, & approbata ſint, ac eſſe cēſeantur, & ab omnibus, ad quos pro tempore ſpectabit, etiam ſub pœnis contrauenientes, ſtatuendis obſeruari debeant, plenam, liberamq. facultatem concedimus, & elargimur. Decernentes erectionem, vnionem, annexionem, incorporationem, ſuppreſſionem, extinctionem, translationem, conuer-

ſionem

ſionem, commutationem, indultum, ſtatutum, deputationem, conceſſionem, facultatem, aliaq; præmiſſa, ac præſentes literas nullo vnquã tempore, ſiue pro eo quod cauſę, propter quas emanauerint, & facta ſint, coram locorũ ordinarijs, etiam tanquã prædictæ ſedis delegatis, vel alibi examinatæ, verificatæ, & approbatæ, ac ordinarij ſuperiores, & monachi prædicti, vel quicunq. alij intereſſe habentes, ad id vocati non fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, ſiue aliàs ex quibuſuis cauſis quantumuis legitimis, & vrgentibus, de ſubreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, retractari in ius, vel controuerſiã reuocari, ad terminos iuris reduci, ſeu aduerſus illa quomodocunq. iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſæ vti poſſe, neque ſub quibuſuis illarum, ac vnionum, annexionum, incorporationũ, ſeu aliarum ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut alijs contrariis diſpoſitionibus etiam à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, etiam in craſtinum aſſumptionis ipſorum ſucceſſorum noſtrorum, & cuiuslibet eorum ad ſummi apoſtolatus apicem, ac aliàs quomodolibet, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarumderogatorijs, alijſq. efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis pro tempore emanatis, etiamſi de præſentibus literis, eorumq. toto tenore, ac data ſpecia-

cia-

cialis, ſpecifica, & expreſſa mentio fiat, minimè comprehendi, ſed illis, ac quibuſuis alijs contrarijs non obſtãtibus in ſuis robore, & efficacia perſiſtere, & quoties reuocationes, ſuſpenſiones, limitationes, aliaque contraria prædicta emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè reintegrata, ac de nouo etiam ſub dat. per Protectorem, Lectorem, ſeu Regentẽ collegiales, & perſonas huiuſmodi quandocunq. eligenda de nouo cõceſſa eſſe, ſuoſq. integros, & plenarios effectus ſortiri. Sicq. per quoſcũq; iudices, & cõmiſſarios ordinarios, & delegatos, etiã cauſarum eorum palatii apoſtolici auditores, ac S. R. E. Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quauis cauſa, & inſtantia iudicari, & definiri debere. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Camerinẽ. & Mõtisalti Epiſcopis, ac dilecto filio curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ generali Auditori, per apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, & in eis contenta, quæcunq. vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Protectoris, Lectoris, ſeu Regentis, & collegialium prædictorum, ſeu alicuius eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſq. in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis cõtenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, ac Protectorẽ, Lectorẽ, ſeu Regentẽ Collegiales,

& alios prædictos, eorũq. ſingulos illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes ipſos, vel eorum quempiã deſuper per quoſcunq. quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, & inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaq. opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas incurriſſe declarando, eaſq. etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, nõ obſtan. præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtris de non tollendo iure quæſito, ac gratijs, ad inſtar non concedendis, & vnionibus cõmittendis ad partes vocatis intereſſe habentibus, veroq. valore etiam beneficij, cui aliud vnitur exprimendo, necnon Lateranen. nouiſsimè celebrati, & aliorum etiam generalium conciliorum vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis fieri, & de monaſterij huiuſmodi extra conſiſtorium diſponi, ac beneficia vnius diœceſis, cum beneficijs alterius diœc. vniri prohibentibus, necnon ſimilis memoriæ Bonifatij pariter prædeceſſoris noſtri, etiam quæ cauet, ne quis extra ſuam ciuitatem, vel diœceſim, niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœc. ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à dicta ſede deputati extra ciuitatem, vel diœc. in quibus deputati fuerint contra quoſcunq. procedere, aut alij, vel alijs vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant, & in concilio generali edita de duabus dietis,

dum-

dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, alijſq. apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon monaſterij, & Ordinis, ac eccleſiæ prædictorum iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis illis, eorumq. prçſulibus, capitulis, abbatibus, ſuperioribus, magiſtris, conuentibus, fratribus, religioſis, & alijs perſonis ſub quibuſcunq. tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq. efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis per quoſcũq. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & ſedem prædictam, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorũ principum inſtãtiam, ſeu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam motu, ſciẽtia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus etiam conſiſtorialiter in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus, etiam contra vniones, annexiones, & incorporationes, aliaq. prædicta quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorũq. totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autẽ per clauſulas generales idẽ importantes mẽtio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbũ, nihil penitus omiſſo, &

forma in illis tradita obſeruata inſerti forent præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dũtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcunq. Aut ſi aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de huiuſmodi, vel alijs beneficijs eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ ſedis, aut legatorum eius literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſeruationẽ, & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdẽ, ac inde ſequuta quæcũq. ad dictam capellaniam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præiudicium generari, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & literis apoſtolicis, ſpecialibus, vel generalibus, quorumcunq. tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat, quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumq. totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in eiſdem literis mẽtio ſpecialis. Volumus autem, quòd propter vnionem, annexionem, & incorporationem prædictas dictum monaſterium in ſpiritualibus non lædatur, & in temporalibus detrimẽtum ſuſtineat, ac cura animarum, ſi qua illi immineat, nullatenus negligatur, ipſaq. capellania debitis non fraudetur obſequijs, ſed eius congruè ſupportentur onera conſueta. Nos enim quoad capellaniam, prout eſt, ſi attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterũ, quò verò ad alia omnia ſupraſcripta ex nunc,
ſi ſe-

ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, vnionis, annexionis, incorporationis, ſuppreſſionis, extinctionis, translationis, conuerſionis, commutationis, cõceſſionũ, indulti, ſtatuti, deputationis, elargitionis, decretorum, mãdati, derogationis, & volũtatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare pręſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, Kal. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno tertio.

E. Prodat.

Tho. Thomaſius Gualterutius.

Confirmatio Conſtitutionum.

SIXTVS PAPA V.

VRBIS.

MOTV Proprio, &c. Cum nuper ad Dei omnipotentis gloriam, ſanctæ eccleſiæ exaltationem, commodumq. & profectum profeſſorum Ordinis minorum conuentualium, erga quem ab ineunte ętate præcipuum gerimus deuotionis affectum,

fectum, in alma vrbe noſtra iuxta domũ baſilicę duodecim Apoſtolorum de vrbe, eiuſdem Ordinis, vel in ipſamet domo vnum collegium ſancti Bonauenturę nuncupatum per alias noſtras literas erexerimus,& inſtituerimus,vt in eo viginti ad minus eiuſdem Ordinis profeſſorum in humanioribus literis, & ingenuis artibus, nempe logicæ, phyſicæ,& metaphyſicæ optimè verſatorum, qui in huiuſmodi collegio ſacræ theologiæ eiuſdem ſancti Bonauenturæ tantùm ſtudij inſiſterent, & operam ſuam nauarent,atq. in quatuor sẽtentiarum libris eiuſdem ſancti Bonauenturæ cõtinuè proficerent, eiuſq. collegij protectorem,quamdiu viueret, dilectum filium Alexandrũ ſancti Laurentij in Damaſo per diaconũ Cardinalem Montaltum, S.R.E. Vicecancellarium, ſecundùm carnem ex ſorore pronepotem noſtrum conſtituerimus, & deputauerimus, prout in dictis literis pleniùs continetur. Nunc demũ intelleximus, diuina fauente clementia, iam in dictũ collegium profeſſores huiuſmodi receptos, & admiſſos fuiſſe. Quare, vt pium huiuſmodi opus, ac reipublicæ Chriſtianæ adeo ſalutare meliores indies progreſſus ad Dei gloriam, atq. animarum ſalutẽ ſortiatur, idem Alexander Cardinalis & protector de mandato noſtro viuæ vocis oraculo ei facto, conſtitutiones quaſdam ſuper regimine, gubernio, & adminiſtratione dicti collegij,illiuſq. perſonarum, bonorum, & rerum omniũ edidit, & promulgauit. Quæ cum à nobis perlectæ,& laudabiles viſę fuerint, vt pro eiuſdem collegij bono regimine, & ſalubri directione perpetuis

futuris

futuris temporibus obſeruentur, motu, &c. ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conſtitutiones præfatas, quarum, necnon erectionis, & inſtitutionis prædictarum tenores præſẽtibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, eiſq. perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac per eos, ad quos ſpectat, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus, omneſq. & quoſcunq. iuris, & facti, ac ſolennitatum defectus, ſi qui interuenerint, in eiſdem ſupplemus. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunq. quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter con tigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac in concilijs etiam generalibus, &c. editis, dictiq. Ordinis iuramẽto, &c. roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs, &c. Quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcunque,

Fiat Motu proprio F.

Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum, &c. Et de perpetuis confirmatione, approbatione, communitione, robore, adiectione, præcepto, mãdato, ſupplectione, decreto, quæ hic pro ſufficienter repetitis habeãtur in literis latiſsimè exten. Et quòd præmiſſorum omnium, & ſingulorum, & qualit. denominat. aliorumq. neceſſariorum maior, & verior ſpecificatio, & expreſsio fieri poſsit in literis, etiam per breue noſtrum, aut aliàs expedien. ſeu ſi videbitur ſola præſentis noſtri Motus proprij ſignatura ſufficiat, & vbiq; fidem faciat, regula contraria non obſtante, Fiat F.

Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, Id. Aprilis, anno quinto.

L°. quinto Secretorum fol.68.



Eg.

B.

Remondus.